

DISSERTATIO VI

DE CORREPTIONE FRATERNA

D. Thomas, q. 33.

Quamvis, si verborum vis attendatur, differant correptio et correctio; correptio enim est reprehensio ad emendationem fratris, correctio est ipsa emendatio: usu tamen recepto inter theologos confunduntur et pro uno et eodem sumuntur.

Duplex est correptio delinquentis¹: Una, quæ adhibet remedium peccato in quantum est quoddam malum ipsius peccantis et ordinatur ad ejus emendationem, dicitur fraterna. Altera est quæ adhibet remedium peccato secundum quod est in malum aliorum et præcipue in nocuum boni communis, et dicitur judicialis. Hæc est actus justitiæ, cujus est conservare rectitudinem justitiæ unius ad alium. Fraterna autem, cum sit eleemosyna spiritualis, est actus elicited a misericordia et imperatus a charitate.

De correptione judiciali hic non agitur, sed tantum de fraterna, quæ definiri potest: « Actus charitatis et misericordiæ, quo per convenientem sermonem, vel aliquid æquivalens, proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur. »

ARTICULUS I

Utrum correptio fraterna sit in præcepto, et quæ conditiones requiruntur ut obliget?

Dico 1^o: Correptio fraterna est in præcepto naturali et divino positivo².

1. Hic, q. 33, a. 1, o. — 2. Ibid., a. 2, o.

Prob. 1^o ex Scriptura. Christus, Matth., xviii, 15, dicit: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

Prob. 2^o ratione. 1^o Præcepto naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti. Ergo, a fortiori, spiritualiter indigenti. 2^o Lege naturæ tenemur reducere bovem proximi errantem. Ergo, a fortiori, ipsum proximum errantem. 3^o Denique, tenemur diligere proximum. Dilectio autem proximi necessario importat, non solum velle et præstare ei bonum, sed etiam ab eo avertere malum, cum possumus. Ergo.

Dico 2^o: Ut præceptum correptionis obliget, requiritur 1^o materia sufficiens, nimirum quod peccatum commissum vel committendum sit, per se loquendo, mortale; 2^o requiritur certa ejus notitia; 3^o spes emendationis; 4^o necessitas correptionis.

Probantur et explicantur istæ conditiones.

Materia sufficiens. — Solum peccatum mortale, et non veniale, esse per se materiam sufficientem et propriam correptionis fraternæ, constat 1^o ex verbis ipsius Christi, Matth., xviii, 15, ubi in explicatione hujus præcepti dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ergo perierat. Nemo autem perit quoad vitam spiritualem, nisi per peccatum mortale. Addit Christus quod, si corripientem non audiat, adhibendi sunt testes, deinde denuntiandus sit Ecclesiæ et habendus ut ethnicus et publicanus. Certum autem videtur hæc non præcipi de peccatis venialibus, quæ quotidiana sunt et in ipsis justis reperiuntur. 2^o Cum omnis correptio sit onerosa corripienti et odiosa correpto, et peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corripiendi, onus foret importabile tam corripientibus quam corripiendis, et neque pax neque tranquillitas inter homines servari posset.

Dixi, « per se loquendo; » quia per accidens peccata venialia possunt esse materia necessaria correptionis fraternæ, ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinæ regularis.

Notitia peccati. — Ad hoc ut quis teneatur corripere proximum, debet habere notitiam moraliter certam peccati commissi vel committendi. Unde non sufficit dubium, suspicio, scrupulus aut rumor; quia, cum correptio pudorem ingerat et sit correpto odiosa, juste conquereretur, si argueretur de peccato quod non constat, et sæpe imprudentes correptiones ex dubiis et incertis indiciis causant graves tricas et dissensiones. Adde quod in dubio præsumendum sit in favorem proximi. Hac ratione plerumque eximuntur a correptione facienda scrupulosi, qui in omnibus timent et suspicantur peccatum.

Spes emendationis. — Requiritur spes emendationis manifestum est¹, quia, cessante fine, cessat ratio operandi propter finem; finis autem correptionis fraternæ est emendatio proximi, in quo differt a correptione judiciali, cujus finis est bonum commune. Adde quod hoc ipso quo non prodest correptio, obsit, quia correptus non respiciens gravius peccat. Et hac ratione sæpe excusantur a correptione fraterna qui sunt inferioris conditionis corripiendo.

Non tamen requiritur spes certa, sed sufficit probabilis, modo etiam sit probabile correptionem non obfuturam. Si dubitetur an sit profutura, et certum quod non sit obfutura, adhibenda est, sicut medici adhibent medicinam quam certo sciunt non nocituram, quamvis dubitent an sit profutura, dum non est alius modus juvandi ægrotum. Si vero dubium sit an proderit, et pariter dubium an nocebit, ut sæpe contingit in extraneis et ignotis, quorum ingenium non novimus, conferenda est utilitas sperata cum damno quod timetur, et majus est minori præferendum.

Hæc intellige de correptione præcise fraterna et quæ nihil aliud intendit quam emendationem delinquentis; quia, si agatur de correptione quæ assumeretur ad alium aliquem finem, ut ad impediendum damnum tertii vel reipublicæ, aut dehonorationem Dei per blasphemias, vel

1. Ibid., a. 6, o.

seductionem populi per hæreticos, etiamsi nulla esset spes emendæ in peccante, si sit spes impediendi malum aut damnum ex ejus peccato consequens, potest et debet adhiberi correptio et redargutio,

Necessitas correptionis. — Scilicet ad emendationem fratris; quia, ut discurret Author¹, correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, et ideo hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem, non autem quod quolibet loco vel tempore delinquens corrigatur.

Hinc sequitur quod, si frater sit emendatus, aut probabile sit quod ipse se emendabit, ut jure præsumitur in iis qui suæ salutis non sunt incurii et solent frequentare sacramenta, nec interim sit periculum relapsus, non tenearis corripere. Similiter si per alios sit corripiendus. At vero, si adsint quidam qui possent forte melius et utilius corripere, et tamen non faciunt, teneris; quia, ut dictum est de eleemosyna corporali, omnes scientes tenentur in solidum.

Cæterum observandum est quod, cum istæ conditiones raro omnes simul reperiantur, raro etiam homines privati teneantur, saltem sub gravi peccato, ad correptionem fraternam.

Petes 1° utrum præceptum correptionis fraternæ obliget cum damno corripiantis.

Resp. Si frater sit in gravi necessitate spirituali, a qua licet absolute possit se liberare, non nisi tamen difficile, sive ob vehementiam passionis, sive ob inveteratam consuetudinem et obstinationem in malo, sive ob ignorantiam aut ob aliam causam; quilibet tenetur cum aliquo damno suorum temporalium illum corripere, quia plus debemus diligere salutem æternam proximi, quam quædam bona temporalia. Ii autem quibus cura animarum incumbit ex officio, tenentur etiam cum periculo vitæ in gravi necessitate; quia ii magis tenentur quam alii, et debent esse parati ponere animam suam pro ovibus suis.

1. Ibid., a. 2, o.

Confer quæ superius dixi dissert. IV de ordine charitatis, præsertim art. 3.

Dixi, « in gravi necessitate spirituali ; » quia vix aut ne vix dari potest extrema necessitas spiritualis, a qua scilicet quis absolute non potest se liberare.

[Petes 2º an peccatores ipsi hoc præcepto teneantur.

Resp. affirmative. « Correctio enim delinquentis, ait Angelicus¹, pertinet ad aliquem in quantum viget in eo rectum iudicium rationis. Peccatum autem non tollit tolum bonum naturæ, quin remaneat in peccatore aliquid de recto iudicio rationis. Et secundum hoc potest sibi competere alterius delictum arguere. » Si tamen est peccator publicus, a correctione abstinere debet propter scandalum, memor verborum Apostoli, Rom., II, 21-24 : *Qui alios doces, te ipsum non doces ; qui prædicas non furandum, furaris... Nomen enim Dei blasphematur per vos inter gentes.*

Petes 3º an etiam inferiores teneantur hoc præcepto erga superiores.

Resp. affirmative cum S. Thoma dicente² : « Correctio quæ est actus iustitiæ per coercionem pœnæ, non competit subdito respectu prælati. Sed correctio fraterna, quæ est actus charitatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid corrigibile inveniatur. Actus enim ex aliquo habitu vel potentia procedens, se extendit ad omnia quæ continentur sub objecto illius potentie vel habitus, sicut visio ad omnia quæ continentur sub objecto visus. Sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt prælatos debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia corripiantur. Unde Apostolus dicit, I Tim., v, 1 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* »

1. Ibid., a, 5, o. — 2. Ibid., a, 4, o.

Petes 4º an corripiendus sit qui peccat ex ignorantia.

Resp. 1º. Si peccat ex ignorantia vincibili, certe corripiendus est, quia tunc est in mala fide, neque excusatur a peccato.

Resp. 2º. Si delinquit ex ignorantia invincibili, monendus est : 1º cum agitur de necessariis ad salutem, vel de scandalo aliorum avertendo. Nec prætereunda est correctio, tametsi delinquentis emendatio vix sperari possit, ne alii forte id pro licito iudicent quod non corrigetur. Si objiciatur, peccatum ejus ex materiali tunc formale evasurum et eum inde spiritualiter perire posse; respondendum, id priori casu, eum similiter periturum ex ignorantia etiam invincibili necessariorum ad salutem; in posteriori casu, charitatem requirere ut scandalum proximi præveniatur. 2º Cum violatur, etsi solum materialiter, lex divina, naturalis aut positiva, et sperari potest monitionis profectus; cognitio enim et observantia legis certæ est semper quid bonum et maxime optandum. Ita communiter. Si vero emendatio non probabiliter prævideatur, relinquendus est delinquens in bona fide, ne formaliter peccet. 3º Si vero jus mere humanum sit in causa, pluribus contradicentibus, probabilius monitio est facienda, si prudenter fieri posse videatur, ad pravum habitum removendum¹. Certo autem in hujusmodi delinquentem animadvertere debent, qui ex officio subditos docere tenentur, ut prælati, confessarii, magistri².]

ARTICULUS II

De ordine correptionis fraternæ

Hunc ordinem tradidit Christus, Matth., XVIII, 15-17, his verbis : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem*

1. S. Lig., lib. III, n. 36. — 2. Id., lib. VI, n. 610, obj. 1ª in fine.

tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testimonium stet omnne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Sunt ergo tres gradus in ordine correptionis fraternae: primus, corripere secreto; secundus, corripere coram uno vel duobus; tertius, dicere Ecclesiae seu praelato. Quæstio est utrum iste ordo sit in præcepto quoad omnes suos gradus¹.

Dico 1^o: Si peccatum sit publicum, id est majori parti communitatis notum, admonitio secreta non debet necessario præcedere denuntiationem, sed est publice arguendum, juxta illud, I *Tim.*, v, 20: *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*; quod de peccatis publicis intelligit Aug., Serm. 82², concludens: « Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. »

Ratio est³: 1^o Quia, quando peccatum est publicum, non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur. 2^o Quia finis propter quem præmittenda est admonitio secreta, qui est conservatio famæ, cessat cum per publicitatem peccati fama peccantis sit perdita.

Dico 2^o: Si peccatum sit occultum, sed vergens in nocumentum aliorum, sive corporale, sive spirituale, puta si aliquis occulte tractet de prodicione patriæ, si hæreticus privatim homines a fide avertat, si magus aut sortiarius occulte agat in perniciem aliorum, si pharmacopola vendat pharmaca perniciosa, etc.; oportet statim procedere ad denuntiationem, non præmissa admonitione secreta, ut hujusmodi nocumentum impediatur⁴: partim quia tunc non habent locum verba Domini, frater enim peccans non peccat in te tantum; partim quia debe-

1. Hic q. 33, a. 7, o. — 2. Olim de verbis Domini 16. — 3. Ubi supra. — 4. Ibid.

mus magis curare ne proximus innocens in corpore vel anima lædatur, quam ne fama peccatoris perdatur.

Excipe, nisi forte aliquis firmiter existimet quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire¹. Sed hoc vix locum habet in hæreticis, qui nec ipsam Ecclesiam audire volunt, et in magis ac sortiariis, propter obstinatam voluntatem in malo.

Dico 3^o: Si peccatum sit occultum et soli peccanti ac ei in quem peccatur noxium, per se loquendo, necessario est præmittenda secreta monitio denuntiationi².

Prob. 1^o ex verbis Christi: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe inter te et ipsum solum.* 2^o Lege naturali tenemur curare proximum cum minori, quantum fieri potest, damno ejus famæ; est enim fama utilis et in temporalibus et in spiritualibus: sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicujus membri abscissione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, ut vita totius conservetur. Ergo fama fratris peccantis non est minuenda apud superiorem, quando per privatam correptionem speratur emendatio. 3^o Quia immediata denuntiatio sine secreta monitione sæpe movet proximum ad indignationem contra denuntiantem, et ad ulteriorem lapsum, juxta illud Hieronymi, in verba citata *Matth.*: « Corripiendus est seorsim frater, ne, si semel pudorem vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato. » Multi enim timore infamiae a peccato retrahuntur, qui quando se infamatos vident, irrefrenate peccant.

Dixi, « per se loquendo; » quia per accidens non est præmittenda secreta correptio denuntiationi in certis casibus. 1^o Non est præmittenda, si fundate præsumatur non profutura³. 2^o Si correpturus sit minus idoneus ad corripiendum, et videatur quod melius fiet per praelatum, quatenus praelatus est pius, discretus, spiritualis, non habens rancorem aut odium adversus subditum, potestque pluribus modis impedire peccatum, licet statim illi

1. Ibid. — 2. Ibid. — 3. *Quodl.* 11, a. 13, o.

fieri delatio. Idem die de aliquo alio viro pio et prudenti. Neque hoc est dicere Ecclesiae; quia non dicitur praelato ut iudici et superiori, sed ut personae proficienti ad correctionem et emendationem proximi, et quasi fratri.

Neque etiam in hoc violatur praecipuum Domini de monitione secreta praemittenda denuntiationi; quia, cum sit affirmativum et in bonum corripiendi, debet observari in quantum circumstantiae locorum, temporum et personarum indicant observandum. Neque conqueri potest corripiendus de sui diffamatione apud superiorem; levis enim est haec diffamatio, attentis prudentia, probitate et benevolentia quae supponuntur in praelato, debetque illum sufferre pro consequenda meliori modo sua salute.

Dico 4^o: Si post pluries adhibitam infructuose admonitionem secretam, sit spes quod ulterius procedendo frater emendabitur, debemus ulterius procedere, adhibendo testes, deinde denuntiando praelato, ut patri, quantumvis peccatum sit occultum. Si vero non sit spes quod ulterius procedendo frater emendabitur, non est ultra privatam monitionem procedendum¹.

Prob. prima pars: 1^o ex lege statuta a Christo. 2^o Ex charitate tenemur consulere famae et saluti proximi, magis tamen saluti quam famae, si utraque haberi non possit. Si ergo inductio testium aut denuntiatio sit necessaria saluti proximi, negligi debet leve famae detrimentum ex adhibitione testium aut ex denuntiatione facta praelato tamquam patri, ut salus obtineatur; sicut prudens medicus pro conservatione vitae totius abscindit membrum necessarium, ut jam diximus ex Authore.

Prob. secunda pars. Correptio fraterna et totus ejus processus ordinantur ab bonum et emendationem fratris delinquentis, tamquam ad finem. Cessante autem fine, cessant media ad illum. Ergo, si non sit spes emendationis fratris procedendo ad inductionem testium et ad denuntiationem, abstinendum est ab illis.

Dixi, « denuntiando praelato, ut patri; » quia, si pecca-

1. Ibid., o et ad 1.

tum occultum fratris non sit nisi ipsi noxium, nec tale quod bonum commune exigit deferri ad iudicium, non licet denuntiare denuntiatione juridica praelato ut iudici, sed tantum ut patri; nec potest praelatus cui istud peccatum per viam correptionis fraternae innotescit, contra illum fratrem judicialiter procedere, neque excommunicatione publica aut alia poena diffamante punire: quia et ipsa correptio fraterna et totus ejus ordo atque processus ad solum bonum et emendationem fratris ordinantur, processus autem judicialis ad bonum dumtaxat commune et publicum. Adde quod frater per suum peccatum occultum non amisit jus ad famam, neque reipublicae bonum exigit ut diffametur. Ergo praelato ut patri subditus delinquens fraterne est denuntiandus, sic ut praelatus non possit ipsum excommunicatione publica, aut aliis poenis juris infamantibus plectere, sed coram denuntiatore et testibus, seu paucis viris gravibus, ipsum corripere et moderatis poenis privatis, ut flagellatione, jejunio et similibus castigare, ipsique prohibere sub poena excommunicationis ne in tale peccatum relabatur. Quod si non obtemperet, erit excommunicatus, atque ita sicut ethnicus et publicanus, ut fert sententia Christi, non tamen publice, sed privatim; neque poterit denuntiari ut talis, quamdiu peccatum manebit occultum.

DISSERTATIO VII

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS

D. Thomas, a q. 34 ad q. 43.

Vitia charitati opposita sunt, juxta Authorem, quaestionibus citatis, odium Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni; aecidia, quae opponitur gaudio de bono divino; invidia, quae opponitur gaudio de bono proximi; discordia, quae opponitur effectui charitatis, qui est pax; contentio, quae opponitur paci quantum ad locutionem;